



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Biennii Peripatetici

Complectens Quæstiones Logicales Una Cum Institutionibus Dialecticis Ad Antiquorum Recentiorumque Mentem Resolutas, Nec Non Juxta Modernam Scholarum Peripateticarum Methodum Elaboratas & Explicatas

Kretz, Marquard

Herbipoli, 1749

§. 1. Quid & quotuplex sit individuum, & quodnam sit principium individuationis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52248](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52248)

§. I.

Quid & quotuplex sit individuum, & quodnam sit principium individuationis?

347. Dico 1. Individuum vel est physicum, & primointentionale, vel logicum, & secundointentionale. *Physicum* à Porphyrio describitur sic: *Quod proprietatibus constat, quarum collectio nunquam in alio erit eadem.* Eas autem proprietates intelligit, quæ versu n. 251. citato comprehenduntur. Verùm cùm ejusmodi proprietates, & circumstantiæ non sint ipsa formalis ratio individuationis, ut dictum est numero modò allegato, hinc plerique Auctores magis probant definitionem D. Thomæ p. 1. q. 29. a. 4. ubi ait, quod individuum sit *indivisum in se*, h. e. unum, quod dividi nequit in plura talia, quale est ipsum. *Logicum* est ipsum individuum physicum, ut substans conceptui logico, à quo accipit denominationem individui. Hoc rursus duplex est: *Subjicibile*, quod subest speciei; & *Prædicabile*, quod de uno solo prædicari potest. Reliquas individui divisiones vide in *Dialect.* vulgata fol. 35. De *individuo vago* hæc duo solùm adhuc observes velim: 1. *Individuum vagum formaliter* tale non datur à parte rei; quidquid enim à parte rei existit, determinatè existit: igitur individuum ex eo tantùm dicitur vagum, quòd intellectus aliquid in se determinatum cognoscat modo indeterminato, ita, ut vi hujus cognitionis non sciat, an sit determinatè Petrus,

trus, vel Paulus. Datur tamen à parte rei *materialiter*, quia verificatur per aliquid existens à parte rei. 2. Hoc individuum non est universale; exprimit enim singularitatem, & licet de pluribus prædicetur, non verificatur tamen in pluribus, sed in uno tantum; hinc non *distributive*, ut universale requirit, prædicatur, sed *disjunctivè*. *Nec inferas* ex his, quod ergo falsa sit hæc propositio: *Aliquis homo currit à parte rei*. Nam nego illat. Cum per ejusmodi propositionem non significetur, cursum indeterminatum hominis indeterminati esse à parte rei; sed cursum, & subjectum currens indeterminatè cognosci.

348. *Dico 2.* Res constituitur *intrinsecè* in ratione individui per suam entitatem, prout est incommunicabilis ad plura entia completa, quæ sint adæquatè id, quod est ipsa. Est sententia D. Thomæ. Nam p. 1. q. 29. a. 1. in \odot sic habet: *Substantia individuatur per se ipsam*. Colligitur etiam ex illius definitione individui supra n. 347. cit. Ratio conclusionis est, quia nulla res esse potest hæc sua res per aliquid à se distinctum; ergo ipsa rei entitas est hæc sua res. *Confir.* Res quælibet à sua entitate *intrinsecè* habet, quod sit; ergo etiam àb ea habet, quod *hæc res sit*. Plura hinc si desideres inspice P. Lingen.

349. *Observa.* Ubi D. Thomas huic secundæ conclusioni videtur contrarius, v. g. quando dicit, rem individuari per materiam quantitate,

titate, & diversis accidentibus signatam, commodè explicari potest de principio individuationis *extrinseco*, *arguitivè tali*, & *quoad nos*, qui rerum essentias intuitivè non videmus, sed eas per accidentia discernimus.

§. II.

Utrum àb Individuis abstrahi possit ratio communis & univoca?

350. *Dico.* Potest abstrahi. *Ratio est.* Quia omnia individua conveniunt in hoc, quòd sint individua, quòd sint indivisum in se, quòd de uno solo prædicari possint &c. Sicut plures homines conveniunt in hoc, quod sint animal rationale. *Adverte*, hanc conclusionem intelligendam tantùm esse de individuis *inadequatè* spectatis, sive quatenùs præcisè individua sunt. Quodsi verò individua *adequatè* spectentur, sive ut sunt hoc numero individuum, illud numero individuum v. g. Socrates, Plato &c. Sic abstrahi àb illis ratio communis non potest, quia ratio individui à Socrate quàm tali abstracta non nisi de uno Socrate prædicari potest. *Confirmant* superiorem conclusionem S. Thomas p. 1. q. 30. a. 4. in ☉. ubi docet, quod *τὸ Persona* sit conceptus communis respectu personarum divinarum. Joannes à S. Thoma, Hurtadus, qui *Disp. 5. Log. Sect. 7.* asserit, quòd hanc sententiam affirmet *major ac melior Philosophorum pars.*

351. *Obj.* Idem nequit esse ratio formæ lis conveniendi & disconveniendi; sed individua
tio